

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (54)

14.2. De initio administrationis deque Archiabbatis resignatione (1)

Postquam actiae officinae Reichraminger Eugenio von Stirling traditae sunt, «Culturalis Societas» ultimos fontes pecuniarios amisit et condicio et «Culturalis Societatis» et Archiabbatiae atque solutio variorum problematum hunc in modum eo difficiliores redditae sunt. Quid faciendum erat et quid fieri potuit? Potuitne omnino fieri, ut e laqueo liberarentur?

Quamquam condicio erat calamitosa, Ottiliani a conaminibus rei servandae consolidandaeque non discesserunt atque nihil inexpertum omiserunt, ut decoctionem imminem vitarent. Hanc viam primo praesertim Abbas Chrysostomus ut responsalis Archiabbatiae ire debuit. Abbas Primas Fidelis von Stotzingen, postquam calamitas actiarum innotuit, ei consilium dedit, ut ad Cardinalem secretarium statalem Eugenium Pacelli¹ se converteret, qui modo in Helvetiā commoratus est, atque ab ipso consilium auxiliumque peteret. Itaque Abbas Chrysostomus Rorsacum² se contulit, ubi die 28^o m. Sept. a. 1930^o Cardinali secretario statali de condicione Archiabbatiae atque de problematis accumulatis rettulit.³ Eugenius Pacelli secundum verba Abbatis Chrysostomi hac relatione satis permotus erat. Ut videbatur, calamitas Ottiliana nondum usque ad eius aures pervenerat. Cum Cardinalis secretarius statalis illo temporis momento ipse nihil facere valeret, Abbatem Chrysostomum Romam ad Praefectum Congregationis de Propaganda Fide, Vilelmum van Rossum misit, quamquam putavit etiam hōc colloquium non magnum effectum exserere.⁴ Etiam hōc consilium Abbas Chrysostomus secutus est atque statim Romam itineratus est, ubi die 29^o m. Sept. a. 1930^o breve colloquium cum Vilelmo van Rossum habuit, qui - de re quidem tactus - propter

1 Eugenius [*Eugenio*] Pacelli (1876-1958), posterior papa Pius XII, inter annos 1917^{um} et 1929^{um} Monaci erat Nuntius Apostolicus et deinde Nuntius Apostolicus ad Rem publicam Vimariensem pertinens. Mense Februario anni 1930ⁱ Pius XI eum Cardinalem secretarium statalem reddidit.

2 *Rorschach*. - Cfr Carolus EGGER: *Lexicon nominum locorum*. Romae 1977, p. 264.

3 Cfr Chrysostomus SCHMID: *Geschichte von Tragöss* (18.2.1946), p. 5 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 253. - Eugenius Pacelli inter annos 1917-1930 ferias suas aestivas Rorsaci peragere solebat.

4 Cfr Chrysostomus SCHMID: *Geschichte von Tragöss* (18.2.1946), p. 5 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

angustias temporis eum ad secretarium suum Cárolum Salotti⁵ misit. Unā cum secretario Abbatis Primatis P.re Gabriele Locher Abbas Chrysostomus colloquium cum Cárolo Salotti habuit, qui tamen modo satis iniquo atque irato relationem percepit et scilicet etiam nullam solutionem praebere valuit. Tota commoratio Romana itaque erat irrita.

Die 30^o mensis Septembris Abbas Chrysostomus iterum in Germaniā versabatur et de proximis gressibus faciendis tam consilii inops erat quam antea.⁶ Insuper domi plura problemata eum exspectaverunt, cum directores argentariae, quae est «Commerzbank», eum adierunt, qui scire voluerunt, quando pecunia credita in illā argentariā assumpta solveretur, et qui actionem iuridicam fortasse futuram minitabantur. Agebatur de primā summā magnā pecuniae creditae, quae novem et dodrante centesimis usurarum constitit et cuius summa decursū temporis usuris non solutis aucta erat. Abbas Chrysostomus illos dominos ad tempus aliquatenus tranquilliores reddere valuit eis indicans propter difficultates generales Romam se conversurum esse.⁷ Tamen provideri potuit alias quōque argentarias similes cogitationes habere. Praeterea accessit, quod Rudolfus von Leuzendorf, prior possessor praedii silvestris, et in oppido Leoben et Aeniponti⁸ actionem instituisse,⁹ quā pecuniam 2,2 millionum scellinorum solvendam postulavit, quae contractū reconciliationis die 31^o m. Ian. a. 1929^o iuncto ei debebantur et quae hypothecā praedio silvestri impositā tuto praestabantur.¹⁰

Ut hae omnes obligationes aliquatenus celeriter solvi possent, alia subsidia pecuniaria maiora condicionibus bonis erant necessaria. Iam P. Aloisius Seibert apud «Helveticam Argentariam Cooperativam»¹¹ Gallopolitanam¹²

5 Cárolus [*Carlo*] Salotti (1870-1947) inde ex anno 1930^o erat secretarius Congregationis de Propaganda Fide. Anno 1933^o Cardinalis redditus est et inter annos 1933-1947 erat Praefectus Congregationis Rituum.

6 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

7 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 254.

8 *Innsbruck*. - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 264.

9 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 254.

10 *Cfr* cap. 4.13.4.

11 *Schweizer Genossenschaftsbank*.

12 Gallopolis: *St. Gallen*. - *Cfr* Carolus EGGER (1977), p. 274.

taliam acquirere conatus est, sed sine effectu. Itaque Abbas Chrysostomus consilium cepit, quo ipse in illā argentariā denuo propter pecuniam creditam interrogaret. Colloquium cum directore Iosepho Ricklin die 15^o m. Oct. a. 1930^o habitum est, tamen etiam sine effectū positivō, quia neque Archiabbatia Ottiliensis neque «Culturalis Societas Tragoessiana» cautionem pro pecunia praebita offerre potuerunt.¹³ Tamen consultationum nondum omnino finis factus erat.¹⁴

Interea P. Optatus Pfäfflin, qui inde e fine mensis Septembris a. 1930^o Vindobonae commorabatur, conspectum condicionis «Culturalis Societatis», praedii silvestris eiusque administrationis sibi acquirere coepit.¹⁵ Hac in re strategice modo vere idoneo progrediebatur, cum Vindobonae primo varios contactūs iunxit, ut ad munus suum difficile exanclandum retia sic dicta

13 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 6 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 255. - Scitū dignum hōc in conexū est - uti Chrysostomus Schmid refert - ante ipsius professionem in Helvetiam virum nomine Iosephum [*Hans*] Siebzehrübel ipsum adiisse, qui tamquam proxeneta unā cum Abbate colloquia in argentaria participare voluit. Scopus scilicet erat in eo, ut merces praemiales ei praeberentur. Abbas autem Chrysostomus talem comitatum stricte recusavit. Ille Iohannes Siebzehrübel fuerat condiscipulus P.ri Aloisii Seibert in seminario Ottiliensi (cfr Verzeichnis der Zöglinge des Missionsseminars in St. Ottilien, nr 156 (ASO, A.7.2.1 (Schüler). Idem tamen seminarium solum a mense Augusto a. 1899ⁱ usque ad mensem Decembrem a. 1900ⁱ frequentaverat.) et, ut patet, P.rem Aloisium comitatus erat, cum ille apud argentariam Helveticam pecuniam creditam acquirere conaretur, sed praesentia Iohannis Siebzehrübel ab argentiis repudiata erat. Quamquam Abbas Chrysostomus illius comitatum recusavit, Iohannes Siebzehrübel unā cum P.re Adalrico Mühlebach atque directore Iosepho Ricklin Abbatem in statione ferroviariā Gallopolitanā Abbatem exspectavit. Sed Abbas Chrysostomus dixit se nullo modo cum isto viro argentariam intraturum esse. Haec relatio eā de causā non est nullius momenti, quia in re Tragoessianā ab initio tales proxenetae se inseruerunt, cum in merces praemiales inhiarent, quae minimum e ternis centesimis constabant. Hunc in modum Archiabbatia alias summas satis magnas solvere coacta erat. Iohannes Siebzehrübel hōc quidem in casū impediabatur, sed posteriore cursū totius rei de ipso iterum aliquid audietur.

14 Scitū digna est adnotatio Chrysostomi SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 7 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1), quā scribit directorem argentariae Helveticae non iam ullam coniunctionem cum P.re Aloisio habere voluisse.

15 Cfr Optatus Pfäfflin: Tagebuch, 1.11.1930 (ASO, A.1.8.1), ubi adnotat se quibusdam interruptionibus ex quadraginta diebus Vindobonae esse, id est circiter inde a die 22^o m. Sept. a. 1930^o.

neceteret.¹⁶ Commendatione Comitis Clementis von Westphalen¹⁷ adhibitā P.ri Optato contigit, ut a societatis humanae Vindobonensis familiis magnae auctoritatis exciperetur et ut ibīdem de officiis suis referret atque iam nonnulla de fratribus Stirling perciperet. Condicio autem praesertim fortunata erat in eo, quod directori Vindobonensis argentariae creditoriae Hugoni Spitzer occurrit. Amicitia vero bona cum ipso, quae decursū temporis exorta est, erat utilissima.¹⁸ Magni tamen momenti imprimis erat directorem Spitzer P.ri Optato immediate post primum eorum colloquium conventum cum iurisconsulto D.re Victore Kienböck¹⁹ effecisse, qui posthac patrociniū P.ris Optati sive «Culturalis Societatis» in controversiā cum fratribus Stirling suscepit.²⁰ P.ri Optato itaque tunc adstitit vir peritissimus quaestionum iuridicarum pecuniariarumque, qui fratribus Stirling multimodis praestabat.²¹

His primis praeparationibus actis P. Optatus «munus» suum auxiliatoris P.ris Aloisii Seibert suscepit, ut «*proelium incoharet*», uti condicionem appellavit.²² «Hostes» veri scilicet erant fratres Stirling, sed etiam P. Aloisius exis-

16 Explicationes fusae scitūque dignissimae de modo progrediendi inveniuntur apud Optatum PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), pp. 12 sqq. (ASO, A.4.2), quas hic partim sequor.

17 Comes Clemens von Westphalen exoriundus erat e vetere gente nobili Vestphalicā. Comites Westphalen sunt possessores maximarum silvarum privatarum in regione Paderbornensi. P. Optatus tempore suo Meschetensi videtur fuisse cappellanus castellanus Clementis von Westphalen.

18 Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), pp. 13 sq. (ASO, A.4.2) refert de amicitia crescente cum Hugone Spitzer.

19 Victor [*Viktor*] Kienböck (1873-1956) erat Austrius iurisconsultus maxime aestimatus atque politicus. Annis 1922-1924 et 1926-1929 munere administri fiscalis Austriae fungebatur, annis 1932-1938 erat praesidens argentariae nationalis Austriacae, annis 1937-1938 in commissione pecuniaria Confoederationis Nationum cooperatus est, annis 1953-1956 munere vicepraesidentis argentariae nationalis Austriacae fungebatur.

20 De coniunctione amicali inter P.rem Optatum atque Victorem Kienböck *cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), pp. 14 sq. (ASO, A.4.2).

21 Scitū digna est etiam P.ris Optati relatio de conventū suo cum Vindobonensi publico procuratore primario, qui conventus Victore Kienböck commendante factus est. Nam illius procuratoris publici materiae contra fratres Stirling adhibendae maxime intererant, quas P. Optatus fortasse praebere valuit. Procuratori acta ampla de illis fratribus quidem iam erant, sed nihil pro certo atque solide probare valuit. *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 15 (ASO, A.4.2).

22 Ea, quae P. Optatus de his eventibus narrat, non solum suspensio animo leguntur, sed ex distantia historicā partim etiam aliquatenus hilaritatem movent, quia comperire placet, quomodo fraudatores paulatim coerceantur. Tamen non est putandum has omnes contro-

timandus erat adversarius, cum idem semper partes fratrum Stirling ageret. In munere quōque incohando atque primo spatio tempore P. Optatus strategice modo opportuno progrediebatur. Nam ita se gessit, tamquam de nulla re quicquam intellexeret et a fratribus Stirling multa narrari atque doceri se sivit. Hunc enim in modum eos reddidit securos, cum putarent ex ipso nihil esse timendum. Immo non est oblocutus, cum ipsi roganti, ut rationum libros «Culturalis Societatis» inspicere sibi liceret, talia negarentur adnotatione, qua dixerunt se alicui, qui non esset sodalis «Culturalis Societatis», inspectionem permittere non posse.²³

Sed hōc modō P.ri Optato via monstrabatur, quomodo ei progrediendum esset. Nempe ipsi perpetrandum erat, ut sodalis praesidii «Culturalis Societatis» fieret. Condicione autem illo tempore vigente hōc non tam facile efficiendum erat fratribus Stirling non animadvertentibus, quid P.tri Optato in animo esset, cum Archiabbas Norbertus praesidens «Culturalis Societatis» nimis artē cum fratribus Stirling coniunctus esset et eos ut «servatores» Archiabbatiae Ottiliensis percipere revera numquam desiisset. Ut omnia latenter fieri possent, P. Optatus Tutzingam vectus est, ubi Archiabbas Norbertus adhuc commoratus est, et eum persuasit, ut ipsi scriptum traderet, quo se munere praesidis «Culturalis Societatis» abdicavit.²⁴ Quibus argumentis et quibus rebus prementibus hōc effecerit, proh dolor non manifestatur. Praeterea ei contigit, ut acquireret ab Archiabbate liberam facultatem scriptam iurisconsulto cuidam Vindobonensi (nominatim non indicato) ut repraesentanti iuridico «Culturalis Societatis» destinata, quae revera ad Victorem Kienböck spectabat.²⁵

Cum P. Optatus iterum Vindobonae erat, decursu temporis auxilio ei erat fratres Striling de eo eiusque prudentiā videlicet falso iudicavisse. Ut eum in

versias P.ri Optato fuisse faciles, cum cottidie ei agendum erat cum fratribus Stirling atque eorum modo agendi protervo. Edocens itaque est adnotatio P.ris Optati, quam in diario suo, 1.11.1930 (ASO, A.1.8.1) exhibet, ubi leguntur haec: «*Magna miseria commorationis meae Vindobonensis, ubi mihi agendum est cum monstris horribilibus.*» (Sententia originaliter Theodisca).

23 Scriptum commendatorium Archiabbatis Norberti, quo rogavit, ut labores P.ris Optati sustentarentur, fratres Stirling recusaverunt dicentes se legitimationem specialem videre velle. - Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 17 (ASO, A.4.2).

24 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 17 (ASO, A.4.2).

25 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 17 (ASO, A.4.2). - Hanc facultatem ab Archiabbate acquirere videtur aliquatenus difficile fuisse et contigit solum auxilio Abbatis Primatis.

machinationes suas involverent et eum hunc in modum ipso invito ad res suas cogere possent, eum rogaverunt, ut datorum rationi sive bilanciae mercatoriae «Culturalis Societatis» assentiretur, quae magistratibus fiscalibus tradenda erat. Sed talia rogantes significaverunt hanc bilanciam quadamtenus esse fictionem. Cum fratribus Striling non fuisset necessarium, ut P. rem Optatum de assensione huius bilanciae rogarent, sed comprobatio P. ris Aloisii suffecisset, manifestabatur, quibus scopis illi agerent. Tamen haec rogatio erat ipsum mendum, quod P. Optatus exspectaverat et quod fore speraverat. Nam monstrare valuit bilanciam primo sodalium conventui «Culturalis Societatis» exhibendam atque ab eodem approbandam esse, antequam magistratibus tradi posset.

Tunc ergo conventus sodalium necessarius erat, qui in diem 17^{um} m. Oct. a. 1930^o constituebatur et illo die in grapheo Victoris Kienböck locum habuit.²⁶ Ex Archiabbatiā Ottiliensi venerunt P. Chrodegangus Hartmann, qui delegatus Prioris P. ris Martini Malter erat, et P. Laurentius Kilger, cui facultas P. ris Hugonis Reinhart erat. Praeterea participavit P. Fridolinus Zimmermann, qui Vindobonae in dissertationem suam scribendam incubuit et cui P. Cyrillus Wehrmeister ius suffragii ferendi tradiderat.²⁷ Hos tres viros P. Optatus pridie sessionis de modo progrediendi instruxit, quem ipse unā cum Victore Kienböck praeparaverat. P. ri Aloisio, cui vicepraesidenti «Culturalis Societatis» bilancia quōque exhibenda erat, invitatio satis breviter ante sessionem tradita est, ne actiones contrarias cuiusvis generis praecogitare valeret. P. Aloisius in ipsā sessione vices gessit Archiabbatis Norberti absentis.²⁸

Sessio ipsa deinde sic transacta est, uti P. Optatus atque Victor Kienböck eam praecogitaverant. «Culturalis Societatis» vicepraesidente P. re Aloisio sessionem ducente primo relatio negotiorum atque bilancia anni 1929ⁱ tractabantur. Ipse P. Aloisius numeros exhibuit atque explicuit eosdem iis, qui in libris

26 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 18 (ASO, A.4.2); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 7 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Protokoll der Generalversammlung des Kulturvereins Tragöß, 17.10.1930 (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)).

27 Cfr Ann., 16.10.1930 (ASO, 3.4.4); Protokoll der Generalversammlung des Kulturvereins Tragöß, 17.10.1930, p. 1 (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), pp. 17 sq. (ASO, A.4.2)

28 Cfr Protokoll der Generalversammlung des Kulturvereins Tragöß, 17.10.1930, p. 1 (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)). - Eugenius atque Fridericus von Stirling sessionem non participaverunt, cum essent tantummodo sodales honorarii neque eis ius suffragii ferendi esset.

inscripti erant, respondere, subiunxit tamen securitatis causā se ultra de eorum rectā ratione praestare non valere, cum munus suum demum in fine anni 1929ⁱ suscepisset.²⁹ Sed hōc in conexū quaestio ponenda est, cur P. Aloisius bilanciam non probaverit, ad quam rem cellerarius pristinus aptus esse debuisset et ad quam faciendam ei inde a mense Ianuario usque ad mensem Octobrem a. 1930ⁱ tempus fuisset. In ipsā autem sessione P.re Chrodegango rogante deinde suffragii latio de bilanciā procrastinata est, usque dum plures informationes praeberentur.³⁰

Deinde sequebatur «Culturali Societati» punctum maximi momenti, nempe nova electio praesidii. P.ri Aloisio nuntiandum erat Archiabbatem Norbertum de «Culturali Societate» decessurum esse. Itaque rogatione prolatā Abbas Chrysostomus unanimiter praesides electus est.³¹ Paulo difficilius tunc primo electio vicepraesidentis acta est. Nam illi, qui cursum sessionis praeparaverant, exspectaverunt P.rem Aloisium item munus suum depositurum esse. Sed idem nihil huiusmodi fecit, etiamsi - secundum verba P.ris Optati - aliquatenus «perturbatus» esse videbatur. Victor Kienböck eā de causā a P.re Aloisio colloquium privatum petivit, cuius effectus erat in eo, quod P. Aloisius non solum dixit se «Culturalem Societatem» relicturum atque munus vicepraesidentis depositurum esse, sed etiam proposuit, ut P. Optatus fieret ipsius successor.³² Quid Victor Kienböck cum P.re Aloisio collocutus sit et quibus argumentis explanaverit, quid ei faciendum esset, proh dolor nescimus. Itaque P. Optatus unanimiter vicepraesidens «Culturalis Societatis» atque eius negotiorum gestor facultate instructus electus est et praesidium

29 *Cfr* Protokoll der Generalversammlung des Kulturvereins Tragöß, 17.10.1930, p. 1 (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)).

30 Similiter P.re Chrodegango interrogante statuta officinae Reichraminger atque compensationes pecunariae inter hanc officinam atque «Culturalem Societatem» tractanda erant. Sed etiam ad hanc quaestionem P. Aloisius non statim respondere valuit (sive noluit), sed informationes de hoc puncto acquirere voluit. - *Cfr* Protokoll der Generalversammlung des Kulturvereins Tragöß, 17.10.1930, p. 1 (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)).

31 *Cfr* Protokoll der Generalversammlung des Kulturvereins Tragöß, 17.10.1930, p. 1 (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)). - In protocollo praeterea adnotatur P.rem Optatum scriptum praeparatum Abbatis Chrysostomi exhibuisse, quod die 14^o m. Oct. a. 1930^o datum erat et quo indicavit se in casū electionis suae munus suscepturum esse.

32 *Cfr* Protokoll der Generalversammlung des Kulturvereins Tragöß, 17.10.1930, p. 2 (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 18 (ASO, A.4.2).

denuo ordinatum est.³³

Hac nova electione praesidii igitur unus ex primis finibus proelii contra fratres Stirling committendi obtineri potuit, sed tota condicio scilicet nondum erat soluta. Nihilominus P. Optatus tunc «Culturalis Societatis» tabularum inspectionem urgenter necessariam facere valuit. Fratres Stirling talia non iam impedire potuerunt et de novā condicione vultum laetum fingere coacti erant. Iam inde a die 18^o m. Oct. P. Optatus in tabulas «Culturalis Societatis» incubuit et hoc quidem temporis urgentiā satis magnā, cum iam paucis diebus post sessio commissionis pecuniariae erat provisa. Tabulas perscrutando P. Optatus ad rerum exitūs terrificos pervēnit, cum detrimenta inter annum 1928^{um} atque mensem Octobrem a. 1930ⁱ in summā circiter 1.132.000 scellinorum exorta essent.³⁴

Die 22^o m. Oct. praenuntiata sessio commissionis pecuniariae Monaci locum habuit.³⁵ Eandem participaverunt Abbas Primas Fidelis von Stotzingen, Abbas Simon Landersdorfer, Archiabbas Norbertus Weber, Abbas Placidus Vogel, Abbas Coelestinus Maier, Abbas Chrysostomus Schmid, P. Chrodegangus Hartmann, P. Mauritius Schrauf, P. Aloisius Seibert, P. Notkerus Mannhart, P. Optatus Pfäfflin atque Director Hugo Spitzer, quem P. Optatus ut specialistam rerum pecuniariarum attulerat.³⁶ Hac in sessione P. Optatus de

33 Cfr scriptum Victoris Kienböck directum ad Vindobonensem aedilium praetorium Polizeidirektion Wien I, 17.10.1930: Statutenveränderung und Wahl, des neuen Vorstands (ASO, A.4.2 (Verhandlungen mit Derfler)). - Brevis adnotatio de novo praesidio etiam invenitur in textibus, qui sunt Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 7 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 255.

34 Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), pp. 18 sq. (ASO, A.4.2) notiā nisis illo tempore adhuc apud ipsum exstante indicavit detrimentorum numeros hos (quibus usurae solvendae iam includuntur): 1928: 500.289,84 sc., 1929: 176.911 sc., 1930: 454.433 sc. Hi numeri confecerunt intra fere tres annos detrimentum totum circiter 1.131.644 sc. (= 667.670 marcarum), quā in computatione detrimenta reliqui anni 1930ⁱ nondum erant adnumerata. P. Optatus praeterea adnotavit anni 1929ⁱ detrimenta relative pauca eo explicari posse, quod illo anno detrimenta vera copiā lignorum caesorum auctā partim fuisse exaequata. Talem autem condicionem annis quōque futuris vigere non erat expectandum.

35 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 19 (ASO, A.4.2); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 7 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 255.

36 Cfr Ann., 23.10.1930 (ASO, A.3.4.4); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 7 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). - Index autem Chrysostomi Schmid non est omnino completus.

cognitionibus rettulit, quas Vindobonae ultimis diebus praeteritis perscrutatione tabularum habuit. Opinabatur autem detrimentum quotannis futurum esse 400.000 marcarum, quod imprimis e usuris eximiis solvendis exoriretur. Conclisit vero sine hypothecā usurarum sustentabilium, quā reliquum aes alienum magnum solvi posset, «Culturalem Societatem» decocturam esse.³⁷ Talis vero decoctio scilicet sequelas graves pro Archiabbatīā et hunc in modum pro totā Congregatione habuisset. Ex quā cognitione rerum auditarum perturbatio animorum efficiebatur, cum inde etiam manifestaretur neque visitatoribus neque commissioni pecuniariae imaginem realem condicionis praedii silvestris Tragoessiani atque debitorum datam esse. Condicione verā cognitā praeterea dispositio quindecim annorum ad aes alienum solvendum a commissione pecuniariā exhibita in irritum cecidit. Abbas autem Chrysostomus protulit hac in sessione primā vice imaginem veram condicionis realis praebitam esse.³⁸

Quia haec tunc patefacta erant, necessarium esse putabatur, ut immediate post sessionem officialem commissionis pecuniariae praeterea sessio quaedam specialis cum participibus selectis institueretur. Hunc vero conventum participaverunt Abbas Primas Fidelis, Abbas Simon, Abbas Placidus, Abbas Coelestinus, Abbas Chrysostomus, P. Optatus atque Director Hugo Spitzer.³⁹ Ad urgentem quaestionem responsum invenire conari voluerunt, quid concrete fieri posset, ut ab aere alieno liberarentur et Archiabbatia atque sic etiam «Culturalis Societas Tragoessiana» sanarentur. Inter hanc sessionem Abbas Coelestinus compluries sententiam suam protulit reliqua monasteria Otiliana - contra verba eorum cellerariorum - ad condicionem consolidandam plus attribuere valere. Itaque Abbas Primas adductus est, ut eum directe interrogaret, num tale officium se suscipere posse ipse arbitraretur. Ad hanc quaestionem Abbas Coelestinus assentiens respondit.⁴⁰ Nihilominus participes hac in sessione speciali non pervenerunt ad problematis solutionem, quae

37 De hac sessione atque relatione *cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 19 (ASO, A.4.2).

38 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). - Sic rem verbis expressit etiam in sessione Conventus die 5^o m. Nov. a. 1930^o habitā (*cfr* Ann., 5.11.1930 (ASO, A.3.4.4).

39 *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 19 (ASO, A.4.2).

40 Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 19 (ASO, A.4.2) hoc responsum directe indicat. Etiam Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) hoc breviter commemorat.

confici potuit. Eā de causā Abbati Primati unicum effugium esse videbatur, quo denuo ad Romam se converterent.

Hac condicione Abbas Primas - omnino aliter ac priore modo suo se gerendi - urgebat, ut celeriter agendum esset. Nam iam die 25^o m. Oct. a. 1930^o ipse atque Abbas Chrysostomus Romam vecti sunt.⁴¹ Ibīdem Abbas Primas consultationes habuit et cum Cardinali Vilelmo van Rossum et cum Cardinali secretario statali Eugenio Pacelli. Tamen haec colloquia sine effectū erant, cum uterque subsidio pecuniario auxilium ferre non potuit et etiam noluit.⁴² Longis colloquiis cum Abbate Chrysostomo habitis Fidelis von Stotzingen itaque concludere coactus est nihil aliud relinquere ac Abbatem Coelestinum Maier reddere Administratorem, cum ipse existimaret eum hōc munus exanclare valere. Abbas Primas tunc etiam effecit, ut Congregatio Religiosorum atque papa hoc propositum sustentarent. Eā de causā Abbas Coelestinus telegraphice monitus est, ut celerrime Romam veniret. Ibīdem autem ille iam die 29^o m. Octobris advēnit.⁴³ Interea Abbas Primas Romae curavit, ut Coelestinus Maier redderetur Administrator, ad quam rem satis celeriter documenta necessaria accepit.⁴⁴ Die 31^o m. Oct. a. 1931^o deinde Abbati Chrysostomo

41 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 256; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177, qui finem mensis Octobris indicat.

42 Hōc in conexū sententia quōque affertur, quae alio in casu priore Romae prolata est et quae est haec: «*Papa est pater fidelium, non eorum argentarius.*» - Cfr Ann., 5.11.1930 (ASO, A.3.4.4); Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).


43 Sicut scribunt Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 8 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) et Hartmut MADL (1999), p. 256, hōc telegraphema die 28^o m. Oct. a. 1930^o ad Coelestinum Maier missum est. Sed ipse Coelestinus Maier in epistolā suā die 24 m. Dec. a. 1930 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.01.11.1) scribit telegraphēma die 29^o m. Oct. sibi allatum esse et se eodem die Romam vectum esse. Cum autem - ut omnes indicant - Abbas Coelestinus hoc telegraphema inter sollemnitatem benedictionis episcopalis Iosephi Kumpfmüller accepit, quae die 28^o m. Oct. celebrata est, ipse Coelestinus Maier in die indicando errat.

44 In colloquio suo, quod cum papa habuit, Fidelis von Stotzingen eidem videtur iam annuntiavisse in progrediendi modo Abbatis Coelestini fortasse aliquid offensionis exoriri posse. Papa vero pragmatice respondit haec: «*Potius nonnullae minores offensiones quam talis tam magna.*» - Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 257.

Nonnulli ex ipsā Congregatione Ottilianā Abbati Chrysostomo exprobraverunt de hac personā, quia Abbas Coelestinus - caute dictum - non erat dilectus. Tamen erat ille, qui in rebus pecuniariis maxime versatus erat. Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss

atque Abbati Coelestino audientia papae praebebatur, id est revera tantummodo Abbas Chrysostomus audientiā dignatus est, quia demum longo colloquio singulari habito Abbas Coelestinus in oecum vocatus est atque benedictionem papalem accepit, cum papa ne unum quidem verbum cum eo commutavit.⁴⁵ Hunc modum Abbas Coelestinus illo temporis momento scilicet non tam bene percepit.

Die 4^o m. Nov. a. 1930^o Congregatio Religiosorum documentum officiale exhibuit, quo Abbas Coelestinus Maier institutus est Apostolicus Administrator in temporalibus. Textus autem huius decreti est hic:⁴⁶



Abbas Coelestinus Maier.

«Sacra Congregatio de Religiosis cumplene cognoverit, acceptis specialibus informationibus, statum temporalem Archiabbatiae Ottiliensis in summo versari periculo, ad tantam ruinam praecavendam et ad rem familiarem in

(18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) iure meritoque adnotavit se ipsum hoc munus suscipere non potuisse, cum unā ex parte quaestionibus pecuniariis non fuisset par, alterā ex parte ut natu minimus Abbatum sibi auctoritas non fuisset.

45 *Cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). - Hartmut MADL (1999), p. 257 sq. hoc locō textum Chrysostomi Schmid ad verbum affert.

46 Decretum (ASO, A.2.1.2; ASO, Z.3.01.11.1). - *Cfr* etiam Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 19 (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöss (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2); Leander BOPP (1952), p. 61 (ASO, D II) [omnes diem non indicantes]; epistula Coelestini Maier die 24 m. Dec. a. 1930 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.01.11.1); epistula Martini Malter die 11 m. Dec. a. 1930 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.1.03); Thomas Spreiter: Tagebuch, 5.12.1930 (ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 258; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177; Godfrey SIEBER (2016), p. 116. - Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 173 scribit Coelestinum Maier inde a die 2^o m. Dec. a. 1930^o de tota pecunia Congregationis responsalem fuisse, et hunc in modum falsum terminum indicat. - Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 40 affirmat Abbatem Coelestinum proposito Abbatis Chrysostomi «Administratorem» praedii silvestris Tragossiani redditum esse (expressis verbis indicans «non «Apostolicum Administratorem»»). Utrumque falsum est.

quantum fieri poterit restaurandam, tenore praesentium nominat Rms. D. Coelestinum Maier, Abbatem de Schweiklberg eiusdem Congregationis Ottiliensis, ad nutum S. Sedis Administratorem Apostolicum in temporalibus tum pro Archiabbatia Ottiliensi eiusque domibus dependentibus in Europa, in America Septentrionali et in Insulis Philippinis, tum pro Abbazia de Münsterschwarzach et Schweiklberg, eiusdem Congregationis Ottiliensis, eique ad scopum supradictum confert plenam liberamque potestatem disponendi de acceptis et expensis pecuniis dictorum monasteriorum omnesque actus ad intentum necessarios ponendi.

Abbas Administrator diligenter perpensis rationibus elapsi biennii statuatur tabulas expensarum quoad stricte necessariam sustentationem religiosorum, aedificiorum, scholarum et operum iam existentium, a quibus tabulis absque consensu Administratoria recedere non licet.

Immobilia vero Abbatiarum de Münsterschwarzach et de Schweiklberg oppignorari nequeunt nisi de consensu proprii Abbatis itemque immobilia Archiabbatiae Ottiliensis domorumque ab ea dependentium necnon fundus vulgo «Tragös» dictus venundari non poterunt sine consensu Abbatis Ottiliensis. Abbates hisce in casibus non suo tantum consilio rem agant, quin capituli consensum requirere teneantur. In casu dissensus res deferatur ad Rms. Abbatem Primate.

Administrator Apostolicus quolibet bimestri Abbatibus de Münsterschwarzach et de St. Ottilien relationem faciat de acceptis et expensis pecuniis necnon de transactionibus factis, singulis autem quadrimestribus accuratam relationem exhibeat Rms. Abbati Primati et in fine cuiuslibet anni, mediante Rms. Abbati Primati S. Sedi transmittat exactam relationem generalem de statu et progressu administrationis suae. Contrariis quibuscumque non obstantibus.»

Hōc decretō Administrator accepit igitur plenam potestatem dirigendi de pecuniā, id est de acceptis atque expensis, Archiabbatiae Ottiliensis eiusque domorum dependentium, quae in Europā, in Americā Septentrionali atque in insulis Philippinis sitae erant,⁴⁷ praeterea Abbatiae Suarzancensis atque Abbatiae Swickersperchiensis, ut hac administratione communi interitum

47 Episcopus Thomas Spreiter miratus est foundationes in Venetiola sitas in administrationem communem non esse receptas, cum domus Maracay esset unica externa domus, quā usque tunc pecunia esset allata. - Cfr epistula Thomae Spreiter die 27 m. Ian. a. 1931 ad Coelestinum Maier directa (ASO, Z.3.01.11.1).

Archiabbatiae arceretur.⁴⁸ Imprimis vi pecuniariā Abbatiarum Suarzacensis Swikkersperchiensisque aliquid ad inceptum servandi attribuendum erat.⁴⁹ Modus autem progrediendi varii generis relationibus, quas Administrator exhibere obligatus erat, perspicuus reddebatur. Quod attinebat ad regiones missionarias, quae scilicet non modo directo aliquid ad pecuniam erogandam adhibitae sunt, mandato Cardinalis Villelmi van Rossum, Praefecti Congregationis de Propaganda Fide, omnes pecuniae, quae sub titulo generali, qui est «pro missione», afferebantur et quae aliis temporibus inter singulas Abbantias atque regiones missionarias dividebantur, in summā ad Archiabbatiam Ottiliensem consolidandam adhiberi licebant. Pecuniam, quae hunc in modum regionibus missionariis subtrahebatur, a Congregatione de Propaganda Fide suppletum iri.⁵⁰ Hoc supplementum non omnino prospere cessurum esse tamen iam praevideri potuit.⁵¹ Sic regiones missionariae, quibus ab initio inopia pecuniaria fuerat, quoad pecuniam immediate calamitate Tragoessianā tactae erant.

Abbatibus Swarzacensi Swikkersperchiensisque administrationem coactivam participandum esse revera erat sequela logica. Nam etiam Abbas Placidus Vogel et Abbas Coelestinus Maier de totā condicione quadamtenus responsales erant, cum Abbates assistentes erga Congregationem Religiosorum expressis verbis assensi erant praedium silvestre Tragoessianum emi posse et sic declaraverant propter emptionem nullam dubitationem exstare. Hac assensione non factā et subscriptionibus in declaratione non praebitis ipsa emptio et hunc in modum tota tragoedia fieri non potuissent. Nihilominus Abbat Coelestino satisfactionem praebuit - papae se gerendi modo frigido erga ipsum non respecto - se ipso, cui praeter alia facultates in rebus pecuniariis et curam externam Abbatiae suae opprobrio dabantur,⁵² ad Congregationem servandam

48 Breviter de hōc decreto *cfr* etiam Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 258; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177.

49 Johannes MAHR (2009) 2, p. 54 hōc in conexū scribit «*Abbatias patrias revera solvendo pares non fuisse*», id quod de Abbatia Swikkersperchiensi et de Abbatia Suarzacensi non valebat.

50 *Cfr* Ann., 5.11.1930 (ASO, A.3.4.4). - Ad hanc rem etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177.

51 Thomas Spreiter exempli gratiā in epistolā suā die 27 m. Ian. a. 1931 ad Coelestinum Maier data (ASO, Z.3.01.11.1) scripsit se tales timores iam pridem habuisse. Sequelam esse in eo, quod scholas privatas partim claudere atque catechistas dimittere debuisset.

52 *Cfr* cap. 4.13.3.

indigeri.

Ex urbe Romā redeuntes Abbas Chrysostomus et Abbas Coelestinus iterum in Helvetiā substituerunt, ut Gallopoli cum Iosepho Ricklin, directore Helveticae Argentariae Cooperativae ibidem sitae, denuo consultationes instituerent. Haec colloquia die 3^o m. Nov. a. 1930^o fiebant.⁵³ Duabus septimanis ante talis consultatio adhuc erat sine effectū, sed tunc condicio erat mutata. Nam facultatibus Abbati Coelestino ut Administratori praebitis possibilitas consolidationis verae multo maior facta erat. Itaque alia colloquia futura praedisponerentur et ab Argentariā spes novae pecuniae creditae praebita est.

Cum respicientes breviter consideramus, quae omnia Abbas Chrysostomus illis paucis septimanis inde ex adventū suo in Germaniam et inde ex benedictione suā abbatiali consultationibus, sessionibus, disceputationibus itineribusque fecerit, ut ad Archiabbatiam Ottiliensem servandam aliquid attribueret, solum mirari possumus ex his omnibus actionibus defatigationem corporalem psychicamque non esse exortam. Utique conamen consolidationis illo temporis momento ad bonam viam pervenisse videbatur. Sed etiam intentio, quam Abbas Primas illo tempore exhibuit, est notatu digna.

Statim post reditum suum in Archiabbatiam Abbas Chrysostomus die 5^o m. Nov. a. 1930^o longae sessioni Conventūs praefuit, in quā de omnibus rebus, quas interea de problematis Tragoessianis atque de totā pecuniariā condicione difficili periculosāque compererat, et de omnibus rebus, quas cum effectū vel etiam sine effectū egerat, aperte rettulit.⁵⁴ Praeter alia manifestabatur, quales partes malas Eugenius von Stirling totā in illā historiā egisset - «*noster «servator», uti nobis dictum est et uti nos adducere voluerunt, ut credere-mus»*».⁵⁵ Etiam de Abbate Coelestino Administratore reddito et de sequelis, quae inde exspectandae essent, Conventus instructus est.⁵⁶ Hae explicationes

53 De his colloquiis *cfr* breviter Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 9 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 263.

54 *Cfr* Ann., 5.11.1930 (ASO, A.3.4.4). - De hac Conventūs sessione *cfr* etiam Hartmut MADL (1999), p. 263; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 178. - De possibili novā pecuniā creditā Helveticae Argentariae Cooperativae Abbas Chrysostomus tamen illā in sessione nondum quicquam commemoravit. Verisimiliter spem incertam excitare noluit, cum haec res nondum confecta esset.

55 Ann, 5.11.1930 (ASO, A.3.4.4). - Sententia originaliter Theodisca.

56 Hartmut MADL (1999), p. 263, adn. 91 hōc in conexū problema chronologicum habet, cum decretum, quo Administrator instituitur, die 4^o m. Nov. a. 1930^o editum sit, ipse vero per errorem putat illam Conventūs sessionem item die 4^o mensis Novembris factam esse.

apertae honestaeque, quibus «*imago clara veraque - primus verus vultus - rei Tragoessianae monstrabatur*»,⁵⁷ in Conventum, etiamsi facta ipsa erant perturbantia atque gravia, effectum exseruerunt sincerum atque animos placantem, postquam monachis tam diu tota veritas atque eius singulas res terribiles recusatae sunt.⁵⁸ Illā autem relatione status quōque Abbatis Chrysostomi atque fiducia in ipsum firmabantur.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 228, 2022, pp. 205-215]

Problema, quod praeter alia inde exortum est, quod Hartmodus Madl Annales inspicere non potuit, tamen solvi potest: unā ex parte sessio Conventūs postmeridiano tempore diei 5ⁱ mensis Novembris facta est, alterā ex parte ad explicationes Abbatis Chrysostomi ipsum documentum typis impressum non erat necessarium, quia Abbas, cum Coelestinus Maier Administrator institutus est, aderat. (In Annalibus insuper legitur decretum illo temporis momento nondum allatum fuisse).

57 Ann., 5.11.1930 (ASO, A.3.4.4). - Sententia originaliter Theodisca.

58 *Cfr* Ann., 5.11.1930 (ASO, A.3.4.4). Etiam Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Cyrill SCHÄFER (2005), p. 178.